



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

15. Januarij. O mi Deus! si te nôssent homines! S. Ignat. vitæ l. 4. c. 28.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Quid juvat Christum sequi, si non detur
consequi ; Qui vult venire post illum, ab-
neget semetipsum. Omni affectu vacuum
te vult Deus, si vel modico teneris, actum
est. Partem in utramque claudicabis, ve-
ste religiosus, mente secularis.

15. Januarii.

O mi Deus! si te nōssent homines! S. Ignat.
vitæ l. 4. c. 28.

OMnis homo naturaliter scire deside-
rat ; hinc tanta in multis studiorum
aviditas, ut præ rerum cognitione opes
contempserint, & honores. Sed ô vana
mortalium studia, ut quid diligitis vanita-
tem, & quæritis mendacium ! Sapientia
hujus mundi stultitia est apud Deum, si ea
non ad unius Dei cognitionem dirigatur.

Frustra fatigamur, ætatem terimus,
quantùm discimus, tantùm, & ampliùs
ignoramus ; tenebras, non lucem, adeptu-
ri, donec in Dei cognitione, &, qui inde
sequitur, amore verè, solidèque docti esse
conemur.

Nec ingenti hìc acumine, nec subtili Ma-
gistro, nec grandi opus est Bibliothecâ ;
si-

Sine verborum strepitu, in humili silentio,
& solitudine cordis, hæc Dei cognitio disci-
tur; abscondit hanc à sapientibus Deus,
ac revelat parvulis.

Quid beatos in cælo facit, nisi Dei co-
gnitio? vide quàm facilè beati esse possi-
mus? disce modum. Beati mundo corde,
quoniam ipsi Deum videbunt.

16. Januarij.

*Vanitatis, & inanis gloria vitium ex igno-
rantia, & cæci sui amore, nascitur. S. Ign.
vitæ l. 4. c. 4.*

Commune mundi malum, ambitio, à
primis parentibus, divinitatem am-
bientibus, ad nos usque traducta! Hæc, si
assentatoris alicuius elogiò, velut brachiò
fulciatur, quàm altè, Deum bonum!
assurgit.

Sui æstimatio credula facilè est, non
tantùm quæ sunt, sed &, quæ non sunt,
credit, modò in sui commendationem
dicta sint.

Infelices vanitatis aucupes! dici, & habe-
ri avent, quod non sunt. Amant nempe
decipi, & in erroribus exultant. Quanta
hæc cæcitas! à fumo gloriæ causata.

Pro